

.xiiii. ITEM ALIA .

Haec sunt mirabilia fratres karissimi . quę in die solemnitas  
sui baptismatis dominus noster iesus christus ostendere dignatus est  
/25r/ et facere . In hac enim die subiens in montem cum discipulis  
suis . uidit maximam multitudinem ad se uenientem et dixit .  
Unde ememus panes ut manducent hi? Probando autem  
dicebat . quia ipse sciebat quod faceret . Responderunt  
autem discipuli dicentes . Ducentorum denariorum pretium  
non sufficeret eis . ut unusquisque modicum quod acciperet .  
Modo autem sunt .v. panes et duo pisces . Sed haec qui sunt  
inter tantos? Pręcepit ergo turbas discumbere . et acci  
piens quinque panes et duos pisces aspexit in caelum et be  
nedixit eos . et dedit discipulis ut traderent turbis . et ex  
his manducantes saturati sunt omnes . Erat autem numerus  
manducantium . quasi quinque milia uirorum . et sustu  
lerunt discipuli duodecim cofinos plenos de fragmentis  
manducantium . [.ii.] Illi autem homines cum uidissent signum  
quod fecerat dicebant . Quia hic est uere propheta . qui uenturus  
est in mundum ;. Iterum `in hac` die uocatus est iesus et discipuli eius  
ad nuptias . que era`n` t in galilea . Et deficiente uino ad con  
uiuium . Dixit mater iesu ad eum . Hi uinum non habent .  
Et dixit iesus . Quid mihi et tibi est mulier? nondum uenit  
hora mea . Dixit autem ministris . Quodcumque dixe  
rit uobis facite . Et dixit eis iesus . Implete hydrias aqua .  
Sex enim hidrię lapideae erant ibi capientes singulę  
metretas binas uel ternas . Et impleuerunt eas usque ad  
summum . Et illas benedixit . Et fecit uinum de aqua . Id  
est .cl. modios . et mutauit speciem aquę . conuertens  
in colorem et saporem uini . Vt autem gustauit archi

triclinus uinum ex aqua factum ; uocauit ad se sponsum  
et ait illi . Omnis homo uinum bonum primum ponit .  
/25v/ et cum inēbriati fuerint . tunc id quod deterius est ; tu autem  
seruasti uinum bonum usque nunc . Hoc signum fecit  
iesus primum coram discipulis suis . et manifestauit gloriam  
suam . et multi crediderunt in eum . In hac iterum die ue  
nit iesus de ciuitate nazareth ad iohannem . baptizaretur  
ab eo in iordanis alueo . et omnia fluenta iordanis con  
gregauerunt se in unum locum . et adorauerunt dominum crea  
torem suum . Et baptizatus est in aquis ille qui fecerat  
aquis . et baptizatus est dominus ab homine . qui fecerat ho  
minem de limo terre ; inspirans in faciem eius spiritum uite .  
Mirum siquidem esset quod se dominus serui subdidit bene  
dictioni . nisi postea cruci subdidisset et morti . Sed ideo  
haec humilitatis exempla pro nobis dominus suscepit . Ut nos  
iustitia eius sanctificaremur a malis primae natiuitatis .  
et de primi hominis adam originali peccato . Et id  
circo quia per uniuersum mundum baptismi gratia opus  
erat humano generi . Benedictionem omnibus aquis  
dedit . quando in iordanis alueo unica pietate descen  
dit . Non tam enim tunc lauit unda christum sed aqua  
ab eo lota est . ut postea per eam sordes abluerentur  
peccatorum . Unde et precursor eius iohannes cum ad  
se baptizandus ueniret . allocutus est eum dicens .  
Domine ego a te debeo baptizari . et tu uenis ad me . qui es  
fons innocentiae et plenitudo iustitię . qui nullo in  
diges . clarescis . nescis accipere . qui tecum exhibes  
et in te possides omnia munera puritatis . et baptismi  
sacramenta . Et quod ego dabo te largiente per gratiam .  
et tu obtines per naturam creaturae . Respondens  
/26r/ autem iesus dixit ad iohannem . sine modo . sic enim decet nos

implere omnem iustitiam . tu enim modo baptizas in aqua  
et poenitentia . Ego autem paulo post baptizabo uos  
in spiritu sancto et igni . et cum impleuero omnem iustitiam . Id  
est cum omnem patris mei perfecero uoluntatem qui  
misit me . Et postquam resurrexero a mortuis et salua  
uero hunc mundum . Tunc mittam discipulos meos  
baptizare in nomine patris et filii et spiritus sancti . Tunc autem  
iohannes baptizatus contremuit non audiens tangere  
secundum dei uerticem . sed clamat contremore dicens sancti  
fica me saluator . Ad extremum autem a domino confortatus  
baptizat miles regem . seruus dominum . iohannes saluatorem  
dicentem sibi . Baptiza me iohannes . baptizo . ác bene  
dico te domine . et iterum conuersus ad iordanen dicebat .  
Et tu iordanis congaude . suscipe me dominum et creatorem  
tuum . ut te potius ab omnibus maculis emundem .  
Igitur baptizatus est hodie christus . et sanctificatus est omnis  
mundus baptismate ipsius . et condonauit nobis  
ablutionem omnium criminum et remissionem peccatorum .  
ex aqua et spiritu sancto omnes purificans . Gaudeamus ergo  
omnes cum iohanne baptista et precursore domini et exulemus  
cum iordane glorificantes simul et magnificantes dominum  
ác redemptorem nostrum . Magnum enim misterium  
declaratum est hodie . quia creator omnium de potestate  
diabole omnes eripiens . in iordane fluuio expurgauit  
nostra facinora . Cui datus est omnis principatus et honor  
regni . omnisque populus . tribus et lingue . seruiunt  
ei in aeternum . Cui statim hodie postquam ascen  
/26v/disset de aqua aperti sunt caeli et uidit spiritum dei uenientem de  
cælo quasi columbam et mansit super eum . Modo autem fratres  
inquirendum ei cur ei caelos tunc aperire dicitur . cuius  
oculi semper caelorum in terra misteria cernebant . sed ideo

caelos tunc apertos esse dicitur . ut misterium baptisma  
tis et magnitudo uirtutis eius in hoc demonstraretur .  
Quia quando homo de baptismo egreditur . tunc ei ianua  
regni caelestis aperitur . et tunc uox de celis sonuit et  
uox patris audita est . Hic est filius meus dilectus . in quo  
mihi bene complacui ipsum audite . Hic significatur  
quod iesum christum uerum dei filium esse credendum est . secundum  
diuinæ nature excellentiam . He sunt uirtutes et mira  
bilia fratres karissimi . quæ propter nos et propter nostram salutem  
in huius diei solemnitate facta sunt . Et ideo studen  
dum est nobis in bonis operibus adornatos esse . Id est in  
uigiliis . in ieiuniis . in caritate perfecta . In longanimi  
tate . in suauitate . In sobrietate et sanctitate . Ut digni  
inueniamur et immaculati . ad celebrandum huius  
diei solemnitatem . secundum quod scriptum est in sancta scrip  
tura . Estote iusti et sobrii et stabiles . et uiriliter agite .  
et sancti estote . quoniam labor uester non est inanis apud deum .  
non querentes quæ uidentur . sed quæ non uidentur .  
Quia quæ uidentur temporalia sunt . quæ autem non ui  
dentur aeternalia sunt et semper manent . quibus  
oportet nos preparari . emundantes nos ab omnibus  
inquinamentis carnis et spiritus . et perficiamus sanctifica  
tionem nostram per timorem dei et amorem christi . Ut in die  
iudicii angeli ex hominibus effecti . fulgeamus sicut  
/27r/ solis claritas in regno patris nostri . semper laudem dicentes  
deo patri et iesu christo in unitate spiritus sancti . per infinita  
secula seculorum amen .